



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,  
doctrina excutitur, scripta recensentur

**Origenes**

**Rothomagi, 1668**

I. Recensentur Origenis Syntagmata ab Eusebio commemorata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-25059**

I. **E**VSEBIUS Origenis vitam libro sexto Historiæ pertextens, plerasque ipsius A  
 scriptiones obiter commemorat, plures prætermittit, ut pote qui in tertio vite  
 Pamphili libro singulas fuisset complexus. Nunc cum eo careamus libro, con-  
 fugiamus ad ipsius Historiam, & quæ in ea laudantur Origenis Syntagmata, eodem hic or-  
 dine recensamus. Primi occurrunt Commentarii in veteres Philosophos, quorum lucu-  
 brationes non prælectionibus modo, sed scriptis etiam in gratiam discipulorum explicabat.  
 Meminit eorum Eusebius libr. 6. Hist. cap. 18. Capite vero 24, duorum ejus De resurre-  
 ctione librorum; tum operis *ἀπὸ ἀρχῆς*, quatuor libris distincti; item *στρωματίων* numero  
 decem; & capite 28, libri De martyrio, Ambrosio & Protocteto Casariensis Ecclesiæ Pres-  
 bytero consecrati; & capite 33, Disputationum quas cum Beryllo Bostrensi Origenes exer-  
 cuit; & capite 36, librorum octo contra Celsum; & capite 39, Sermonum quorundam B  
 iis utilium, quibus in tormentis pro Christi fide toleratis consolatione opus esset; & pas-  
 sim, Epistolarum. Hæc de Origenis Syntagmatis Eusebius, quæ in antecessum proposui-  
 mus, fidelissimum hunc Origenianarum rerum narratorem præ cæteris pro more nostro  
 consulentes.

II. Nunc retrahemus ex his aliqua, & paulo accuratius expendamus. Duo duntaxat De  
 resurrectione libri ab Eusebio commemorantur. At Hieronymus apud Rufinum libr. 2.  
 Inveit. scripsisse narrat Origenem *De resurrectione libros duos, & alios De resurrectione Dialogos*  
*duos*. Idem Hieronymus Epistol. 61. ad Pammach. cap. 8. citat librum ejusdem operis quar-  
 tum. Atque hos libros Methodius ejusdem tituli opere confutavit.

III. Libros *στρωματίων* Origenes climavit ad Clementis exemplum, à quo paris argu-  
 menti & inscriptionis lucubrations hodie superstites elaboratæ sunt. Hieronymus Epist.  
 84. quæ est ad Magnum Oratorem Romanum: *Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, meo ju-  
 dicio omnium eruditissimus, octo scripsit Stromatum libros, & totidem Peritæoniorum, & aliam contra  
 Gentes; & Pedagogi quoque tria volumina. Quid in illis indoctum? quid non è media Philosophia est?  
 Hunc imitatus Origenes decem scripsit Stromateas, Christianorum & Philosophorum inter se sententias  
 comparans, & omnia nostra religionis dogmata de Platone, & Aristotele, Numenio, Cornutoque confu-  
 tans.* Hunc ipsum Hieronymum alicubi dicere ait Rufinus, *Confederatos esse quosdam Origeni  
 ad perjurium, & istud mystica ejus traditionis arcanum absconditum esse in sexto Stromatum libro; nec  
 ab ullo alio in hoc sæculo, nisi à se solo deprehensum.* In Proœmio vero Commentar. in Epistol. ad D  
 Galat. Origenem scribit decimum Stromateon suorum librum Commatico super expla-  
 natione Epistolæ ad Galatas sermone complevisse: & in caput 13, Daniel. quædam ait ipsum  
 in eodem Stromateon libro de Susannæ & Belis fabulis dixisse. Quinetiam in Epist. 65. ad  
 Pammach. & Ocean. cap. 2. neminem Latinorum affirmat ante suam ætatem libros Ori-  
 genis De resurrectione, *ἀπὸ ἀρχῆς*, Stromateas, & Tomos transferre voluisse, propter novi-  
 tatem scilicet doctrinæ. Quoniam igitur ad Stromateon Clementis exemplum suos com-  
 posuerat Origenes, ut accuratius perspectum habere possis quo illi in argumento versati,  
 qua arte conditi sint, lege Eusebianæ Historiæ libri sexti caput decimum tertium, ubi de  
 hac Clementis scriptione differitur.

Rufin. In-  
 veit. 2.

Hieron. De  
 script. Eccl.  
 cap. 67.

IV. Quod attinet ad librum De martyrio, de eo ita commemoravit Hieronymus, his E  
 verbis: *A. brosius confessionis Dominice gloria insignis fuit, cui Theodotisto Presbytero liber Origenis  
 De martyrio scribitur. Legendum omnino: cui, & Theodotisto.* Id si vidisset Interpretæ Græcus,  
 absurdam hanc nobis interpretationem neutiquam dedisset: *ὁ βίβλος Θεοδοτίστου προσέβουλον ἱε-  
 ρότος ἀεὶ ἵππεος ἀπὸ ἀρχῆς ἡρώδου γέγραπτος.* Videtur legisse: *Cui Theodotisti Presbyteri liber, &c.* Theo-  
 dotistum nominat Hieronymus, qui ab Eusebio Protoctetus appellatur, Theodotistus Casari-  
 ensis fuit Episcopus; Protoctetus ejusdem Ecclesiæ Presbyter: perperam eos confundit  
 Hieronymus. Protocteto, non Theodotisto inscriptus est liber iste, ut ostendit ejus exem-  
 plar nondum editum, quod penes me est. Ejusdem argumenti Epistolam ad Patrem mar-  
 tyrio destinatum scripserat Adamantius etiamnum puer; cujus Epistolæ verba quædam F  
 repetit Eusebius libr. 6. Histor. cap. 2.

V. Acta Concertationis Origeni cum Beryllo habitæ eadem fuisse arbitror atque Dia-  
 logum utriusque, quo hæreseos Beryllus coarguitur. Hunc ætate sua exitisse scribit Hie-  
 ronimus libr. De scriptor. Eccles. cap. 71. Præter hunc Dialogum, alios quoque literis  
 Origenes mandasse fertur. Rufinus in libello De adulteratione libror. Orig. quemdam ab  
 eo conscriptum, & à Candido Hæretico quicum habitus fuerat, adulteratum commemo-  
 rat. Circumferebatur ille Hieronymi temporibus, in eoque Origenes, & Candidus Valen-  
 tinianæ defensor hæreseos inter alia disputabant, Filiusne esset de Patris substantia, &  
 utrum Diabolus ejus esset naturæ, quæ salutem adipisci non posset. Africanus Origenis  
 æqualis & amicus initio Epistolæ, quæ ipsius sententiam de Susannæ historia rogavit, lau-  
 dat Dialogum ejus ad Agnomonem, in quo partem illam libri Danielis in testimonium ad-  
 duxerat,